



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

Caput V. Præter Divinam Scripturam sacras quoque Traditiones esse  
admittendas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

quod apud Judicem probare nititur honestatem matris testimonio filii, & honestatem filii testimonio matris, cum tam filii, quam matris honestas inexplorata sit & ambigua: circulantur hæretici, qui nobis contendunt demonstrare privatum spiritum ex Scripturis apertissimis, easdemque Scripturas ex persuasionem privati spiritus, dum nos utrumque negamus, & Scripturas quas proferunt esse apertissimas, & privati spiritus persuasionem ad Scripturas judicandas idoneam esse. Versaremur & nos in tali circulo, si ad refellendum Paganum comprobaremus veritatem Religionis Christianæ ex Scripturis, veritatem Scripturarum ex fide, quæ viget in Religione Christiana, dum Paganus ille utrumque præfate denegat. Hunc non tali methodo ad fidem pertrahere studeremus; sed propositis argumentis III. cap. quæ dici solent *motiva credibilitatis*; ac demonstrata summi Dei revelantis auctoritate, illum adigeremus ad præstandam fidem Ecclesiæ ob eandem Dei auctoritatem, implorata, à qua fides est, Christi gratia. At inimicos veritatis, qui ex fidei controversiis aliquam nobiscum propugnant, ex veritate quam probant nitimur refutare. Negant Manichæi vetus testamentum? Manichæos confutamus ex testamento novo quod approbant. Negant Lutherani auctoritatem Ecclesiæ? Lutheranos revincimus ex utroque testamento quod non abjiciunt. Negat Catholicorum aliquis incompertum sibi dogma? Catholicum convincimus auctoritate Ecclesiæ, cui se submittit. Atque id non est circulando vagari, sed recta aggredi oppugnatorem. Ubi autem Novatores omnia fere Romanensium Theologorum

dogmata impugnantes nobiscum decertant, non utimur nos uno duntaxat Scripturæ textu; sed ubi negant Ecclesiæ judicium, urgemus testimonia Evangelii: ubi Traditiones, opponimus Epistolæ Pauli: ubi Scripturarum canonem, obtrudimus & Traditiones, & Ecclesiæ judicium, quæ duo jam ex Scripturis comprobavimus. Atque ita non ex ignotis ignota, sed ex probatis ea quæ negantur inferimus. Quod si unum Scripturæ locum ex ipsa Scriptura explicamus, confugimus ad contextum magis expressum; ad sacri Scriptoris scopum, ad magis probatam Versionem, ad linguarum etiam proprietatem atque syntaxim, & ex iis quæ nota sunt, ea quæ ignota erant interpretamur, recepto tamen, quod spernunt Sectarii, vivorum Judicium magisterio. Si hoc sit vagari circulatione; nulla est, quæ non laboret tali vicio, in qualibet scientia ratiocinatio.

Dum obijciunt omnem hominem esse mendacem, qui aliud probant, nisi mendacem esse Lutherum, mendacem Calvinum, mendacem cujusque hæretici spiritum, qui proculdubio est humanus? Et quidem hujus mendacii argumentum est arrogantia, vanitas, perversitas, contradictio, & quæ paulo supra redarguimus. At summus Ecclesiæ Rector, licet homo sit, Divino Spiritu dirigitur, juxta factam beato Petro promissionem, quod nunquam deficiet fides ejus, & nunquam portæ inferi adversus eum prævalebunt. Cæteris directio Spiritus sancti non adest, nisi cum ipso Ecclesiæ Capite conjuncti sint; ac propterea controversiarum fidei supremus Judex est solus Romanus Pontifex; cujus auctoritatem alibi vindicabimus.

## CAPUT V.

Præter Divinam Scripturam sacras quoque Traditiones esse admittendas.

### SUMMARIUM.

1. Quinam Hæretici traditionibus opposui.
2. Quid sit traditio.
3. Traditionum multiplex genus.

4. Regulæ pro dignoscendis traditionibus Christi & Apostolorum.
5. 6. usque 18. Probatur, admittendas esse traditiones.

I. **N**OVATORES, ut diximus, solam Scripturam judicandorum dogmatum normam & regulam statuunt, quoniam illam pro libito in pravam sensum detorquentes facilius veritati repugnant, erroremque suum insolenti perversitate tutantur, facti veterum omnium hæreticorum imitatores.

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

Nam post Sadducæos, qui ante Christi adventum in Hebræorum gentem plures hæreses intruserunt, temere negantes quidquid veteris Testamenti scriptis non continetur, ut scribit Josephus lib. XI. Antiq. cap. 18. nullam præter Verbum Dei scriptum fidei regulam agnoscere priorum duorum sæculorum hæretici,

Mm 2

tici, Valentiniani praesertim, & Gnostici, apud D. Irenaeum lib. 111. cap. 2. Idem praestiterunt Ariani rejicientes *Homou- sion*, propterea quod in nullo sacro li- brorum scriptum sit, ut liquet ex Epi- stola S. P. Augustini ad Pascentium, & ex 1. adversus Maximinum libro: idem- que Macedoniani, & Eunomiani refu- tati à Magno Basilio in Opere ad Am- philochium, Eutychiani, ut liquet ex Act. 1. Concilii Chalcedonensis, Pela- giani, apud S. Patrem August. de Nat. & Grat. cap. 39. alique haeretici omnes. At praeter ceteris bellum Traditionibus in- dixere Lutheri, Calvinique gregales: & ex his majori fortassis audacia, ex- tremoque conatu Chemnitius, Dallæus, Georgius Callixtus, ac Basnagius. In- numeri ex adverso pii, doctique Theo- logi Verbum traditum propugnarunt: cumque communia haeticorum argu- menta diluant Canus, Bellarminus, Va- lemburgenses, alique sacrarum Con- troversiarum Tractatores; Chemnitium refutavit in libris Stromatum Wilhelmus Lindanus: Dallæo satisfacit Nicolaus L'Herminier Tom. 8. pag. 194. & Na- talis Alexander dissert. xvi. 2. Saeculi, ac Samueli Basnagio Abbas Benedictus Bacchini in Epistolis Polemicis vernacula lingua contra Jacobum Piceninum conscriptis. Ut ex Nostratibus aliquos recenseam, praeter Hyacinthum Tonti, & Taddæum Caluschi superiori capite commemoratos, dignus est qui legatur Carolus Moreau Tom. 111. Tertull. pag. 716. & seqq.

2. Quid sit tra- ditio.

Ut praesens quaestio dilucide resoluatur, praemittendum est, quid sit Tra- ditio, quotuplex, & quibus notis di- scerni possit. Ac primo appellantur Traditiones illa quoque dogmata, quæ in Scripturis sanctis continentur: quo sensu falsi testes Act. vi. 14. de Stepha- no dixerunt: *Audivimus enim eum dicen- tem: Quoniam Jesus Nazarenus hic de- struet locum illum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.* Deinde Tradi- tio accipitur pro doctrina, quæ primum prædicatione Apostolorum propagata est, postea sacris etiam literis consignata: ut 1. ad Corinth. xi. 23. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, &c.* Tertio Traditio accipitur prout verbo Dei scri- pto non continetur, sed ore à patribus derivatur ad posteror: atque de hac Tra- ditione cum haeticis ad solam Scriptu- ram provocantibus decertamus, affir- mantes plura à nobis de fide tenenda esse, quæ in Verbo Dei scripto minime inveniuntur expressa.

Traditionum autem genus multiplex est. Aliæ sunt Divinæ, quæ nonnisi à Christo Domino ducunt originem, ut quæ spectant ad formam & materiam Sacramentorum, à Deo homine, qui solus potuit gratiam sensibilibus signis alligare, institutorum. Quædam sunt Traditiones Apostolicæ, quæ ab Eccle- siæ incunabulis, ab Apostolis Divino Spiritu afflatis Ecclesiis fuerunt propo- sitæ, ut jejunium quadragesimale in Christi memoriam, animarumque me- delam primitus institutum, & fidei sym- bolum recitandum à Catechumenis sa- cro lavacro expiandis. Aliæ sunt tra- ditiones Ecclesiæ sano, providoque con- silio inductæ, & paulatim receptæ, cu- jusmodi sunt ritus in Sacramentorum administratione servandi, ordo precum, festorum plurium institutio, & alia id genus permulta: in quibus distinquen- dum est, quod servat universalis Eccle- sia, & quod in usu est apud Ecclesias peculiares, ut de jejunio sabbati scri- bit S. Augustinus in Epistola ad Ca- sulanum, & de cantu Ecclesiastico lib. ix. Confess. cap. 7. Non con- tendimus adversus haeticos servandas esse traditiones omnes singularium Ec- clesiarum, sed Divinas, Apostolicas, & universalis Ecclesiæ usû, & auctori- tate probatas: in cæteris dicimus se- quendum morem illius Ecclesiæ, apud quam commemoratur. Harum traditio- num quædam ad doctrinam spectant, ut dogma de canone Scripturarum, & de perpetua Deiparæ Virginitate: quædam ad mores, ut jejunium, Sanctorum cul- tus, Monachalis institutio: quædam ad disciplinam, ut baptismi collatio per immersionem, vel ablutionem. Postre- mum locum tenent traditiones huma- næ, quæ, ut ab Ecclesiasticis discer- nuntur, sunt instituta hominum pro libito inducta, ac sæpenumero legum præscri- ptionibus adversantia; ut de traditioni- bus Pharisaicis diximus hujus voluminis pagina 22.

Ad discernendas Christi, & Apostolo- rum traditiones his regulis utimur. I. Si universa Ecclesia tanquam fidei dogma amplectatur, quod nonnisi solus Deus po- tuit constituere, etsi scriptum illud non sit, descendit tamen ex traditione Divina. Hujus regulæ ratio est, quia cum Ecclesia universa non possit errare in fide; quid- quid tanquam de fide credendum propo- nit, id certissime à Deo revelatum est. Tra- ditur hæc regula ab Irenæo lib. 111. ad- versus hæreses cap. 2. à Tertulliano de Præscript. cap. 28. à Cypriano lib. 111. Ep. 13. & à S. P. Augustino lib. 2. de

3. Traditio- num multi- plex genus.

4. Regulæ pro- dignoſcen- dis traditio- nibus Chri- ſti, & Apo- ſolorum.

de Baptiſm. cap. 7. II. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Deprompta eſt hæc regula ex S. P. Auguſtino lib. IV. de Baptiſmo contra Donat. cap. 24. huiusque regulæ ratio aperta eſt, quoniam vetuſta conſuetudo, cuius inſtitutionem ac initium non invenimus, ad Apoſtolorum uſque tempora debet referri. III. Doctrina, quam Eccleſia univerſa quovis ſæculo propugnavit, aut ſi in aliqua particulari Eccleſia vigiſſe non conſtet, perpetuo tamen ſervata eſt in Eccleſiis præcipuis, atque Apoſtolicis, ex Chriſti, & Apoſtolorum traditione manavit. Deſumpta eſt hæc regula ex Irenæo lib. III. cap. 2. & 3. & ex Vincentio Lirinienſi cap. 2. Commonitorii: & liquet; nam dum ſervamus antiqua dogmata Eccleſiarum Apoſtolicarum, ab his ſenſibus nullatenus recedimus, quos maiores, ac patres noſtros habuiſſe comperimus. IV. Si uno ore viri Eccleſiaſtici teſtentur dogmata aut conſuetudinem ab Apoſtolis derivaffe, aut contrarium aſſerentes tanquam hæreticos reproben; Divinæ aut Apoſtolicæ traditionis certum eſt argumentum. Ita docuerunt PP. Septimæ Synodi art. 6. Hieronymus in Epift. ad Pammach. & Leo Papa Epift. 13. ad Auguſtum: quod & rationi conſentaneum eſt, quia dum adhæremus doctoribus Eccleſiaſticiſ, & diſjungimur ab hæreticis, ſequimur Spiritum veritatis, rejicimusque Pſeudoprophetas, hominesque mendaces. Vide Melch. Canum libro III. cap. 4. Franc. Sylviuſ lib. I. Controv. Q. III art. 5. Caſp. Juenin. Diſſert. IV. q. II. cap. 3. &c. E contra traditio Divina, aut Apoſtolica cenſenda non eſt, ſi non ab univerſa Eccleſia ſervetur, ſed vigeat duntaxat in aliqua Eccleſia particulari: ſi perantiqua non ſit, ejusque inſtitutionis designetur origo: ſi à perpaucis, licet antiquis, Scriptoris commemoretur, ſed repugnent alii numero, doctrina, & auctoritate præcipui: ſi denique viri Eccleſiaſtici, & Apoſtolica præſertim Eccleſia, tanquam novellam adinventionem illam repudient, atque proſcindant. Legatur S. Vincentii Lirinienſis Commonitorium cap. 20. 21. 22. 28. His præmiſſis ſit.

5.  
Propoſitio.  
Probatur I.

Propoſitio. Admittendæ ſunt Divinæ, & Apoſtolicæ Traditiones. Demonstratur primo; quoniam nemo ſanæ mentis negare poteſt, Eccleſiam antiquiorem eſſe Scripturis, & aliquamdiu ſolam traditionem veræ fidei normam fuiſſe. Etenim in lege naturæ

nulla Scriptura extitit, quæ Divinam haberet auctoritatem. Primus omnium canonicos libros ad Eccleſiæ inſtitutionem aut Jobus ſcripſit, aut Moyſes, nam librum Enoch, aliosque vetuſtos neque Synagoga tanquam Divinos unquam habuit: & nihilominus ad notitiam uſque noſtram pervenerunt ſacrificia, quæ obtulit Abel, Dei cultus confirmatus ab Enos, immolata à Noe holocauſta, acceptum à Deo mandatum circumciſionis, & poſteris Abrahami annuntiatum, altaria à Jacob erecta, aliaque legis naturæ inſtituta, absque membranis, tabulisque ſervata. In lege itaque naturæ fidei regula non erat verbum ſcriptum, ſed traditum, per quod filii à parentibus religionem, ritumque colendi Deum edocebantur; quemadmodum innuit S. David, dicens: *Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis, ut cognoscat generatio altera &c.* Pl. LXXVII. 5. In lege autem Moyſi, etſi plura ſacris literis fuerunt conſcripta, plura tamen alia fide certiffima tenebantur ex ſola traditione majorum. Atque ut mittam, quæ negant hæretici, ut ſacrificia pro defunctis, quæ ante Machabæorum tempora nulla Scriptura legis expreſſerat; aut quæ ſpeciatiſ designare non poſſumus, ut remedium pro femellis ad originalem maculam expiandam: undenam acceperunt Judæi Moyſen eſſe Auctorem librorum, qui ſub ejus nomine circumferuntur, eosque fuiſſe Deo inſpirante exaratos, niſi ex traditione? unde cæterorum ſacrorum librorum, niſi tradente Synagoga, canonem habuerunt? unde cruentis victimis didicerunt præſignari Chriſtum Reparatorem? Proſecto ex Patrum inſtitutione, de qua idem Regius Vates Plalm. XLIII. *Deus auribus noſtris audivimus, Patres noſtri annuntiaverunt nobis.* Si denique de Evangelica lege ſermonem inſtituamus, Chriſtus Dominus nihil ſcripſit, quod canonicum eſſe ſciamus; nec Apoſtolis præcepit, ut literis mandarent Evangelica dogmata, ſed ut ea univerſis hominibus annuntiarent, adeo ut Chriſti fides, juxta Prophetarum vaticinia, prius cordibus, quam tabulis inſcripta fuerit, Præceſſit itaque Traditio Scripturam, & aliquando Eccleſia & Religio absque Verbo Dei ſcripto ſubſiſterunt.

Demonſtratur ſecundo; nam, ut liquet ex præcedenti capite ſola Scriptura non eſt diſjudicandorum dogmatum norma. Sine Eccleſiæ auctoritate Evangelio nemo prudens aſſentiretur: illius judicio canonicos libros ſecernimus ab

M m 3

Apo-

6.  
Probatur 2.

Apocryphis, & sensus Scripturarum ambiguos non privato spiritu definimus, sed docente Ecclesia tantummodo, sine erroris periculo assequimur. Arbitror id paulo supra fuisse sufficienter comprobatum. At Ecclesia qua regula uti potest sive ad canonem sacrorum librorum definiendum, sive ad sensum obscurum perplexumque enodandum, nisi forte traditione Majorum? Ipsa monstrante quatuor tantum Evangelia suscipimus, & spuria ac fictitia nomine intrusa repellimus, ut lib. vi. H. E. cap. 10. & 19. probat Eusebius testimonio Serapionis, & Origenis. Neque est necessaria aliorum testium auctoritas; postquam vidimus inepte probari ex scriptura scripturae ipsius canonem, aut inspirationem. Idem asserendum de Scripturarum interpretatione; quam ex unanimi Patrum sensu petendam esse, jure meritoque scribit Agatho Papa in Epistola, quae extat Act. iv. Synodi sextae. *Sic enim*, ut verbis utar Lyrinensis cap. 38. *Divinis eloquiis, sententiis, promissionibus Diabolus & discipuli ejus utuntur: quid facient Catholici omnes, & matris Ecclesiae filii quoniam modo in Scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commentarii istius sanctos, & doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut Divinum canonem secundum universalis Ecclesiae Traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur.* Traditio itaque tam ad discernendas Divinas Scripturas ab apocryphis, quam ad illarum sensum legitimum disquirendum est summopere necessaria.

7.  
Probatur 3.

Tertia demonstratio sit. Plura nobiscum haeretici propugnant dogmata, quae nequeunt ex Scripturis probari, cum ibidem aut nullo pacto, aut nonnisi obscure contineantur. Perpauci sunt, qui adversus Helvidium non fateantur perpetuam Deiparae virginitatem, & contra Apollinaristas descensum Redemptoris ad inferos. Baptizandos pueros ante usum rationis defendunt adversus Anabaptistas cum Lutherani, tum Calvinistae: utrique censent valere collatum ab haereticis baptismum. Nequeunt hæc ex sola scriptura demonstrari. Alia ex scriptura quidem inferuntur; at non si traditionem contemnas: processionem Spiritus sancti à Filio, divinarum personarum in una, eademque substantia aequalitatem, Sacramentorum numerum, aliaque multa non ita expresse in canonicis Scripturis invenies, ut inde possint adversarii prorsus refelli. Imo si quæ in Scripturis expressa sunt,

facile in contrarium sensum detorqueantur, Patrum traditioe rejecta. *Et jam Protestantes* (inquit Grotius in Annotationis ad Consult. Caslandri) *quæ tuentur, ea non sunt omnia à orthodoxis, ad verbum, in sacris literis. Dicunt admittendas consequentias. At ipsi consequentias sepe admittunt ex privato cujusque ingenio: unde tot & tam gravia inter ipsos dissidia, & quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus Ecclesia antiquo, & universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testibus, in Scriptura & in Traditione, quæ mutuo faciem sibi allucent.* Vidit hujus argumenti firmitatem etiam vir ille peracutus, à communi nostra alienus.

Quartum argumentum depromitur ex confutatione hæresum, quæ non solum Scripturis, verum etiam Traditione, & hac præsertim fuerunt refutatae. Gnosticos refellit S. Irenæus lib. iii. cap. 3. primum ex Traditione Ecclesiae Romanae, cujus dogmata probat esse inconcussa ex legitima successione Pontificum à Petro usque ad sedentem eo temporis Eleutherium; deinde ex Traditione Ecclesiae Smyrnenfis, quæ Episcopum ac magistrum habuit virum ab Apostolis edoctum, & cum eisdem conversatum, sanctissimum scilicet, invictissimumque Christi martyrem Polycarpum: tertio ex Traditione Ecclesiae Ephesinae, quam fundavit Paulus, ac diu rexerit Joannes, & quæ poterat traditionis Apostolicæ verax testimonium præbere. Confutatos Arianos in magna Nicæna Synodo ex vetustis Episcopis, & Scriptoribus, qui ante eandem Synodum eos, qui Filium Dei facturam esse dicerent, non autem Patri consubstantialem reprehenderant, scribit libro i. H. E. cap. 8. Theodoretus. Quinta Synodus, sive Constantinopolitana ii. can. 9. anathematizavit Nestorianos autumantes Verbum incarnatum adorandum non esse eadem adoratione cum assumpta humanitate, sicut ab initio Dei Ecclesiae traditum est. In Sexta Synodo, seu Constantinopolitana tertia, discussa sunt omnium præcedentium Patrum testimonia ad evincendas duas in Christo voluntates, & profligandam hæresim Monothelitarum, ut liquet ex Act. iv. x. & xviii. Septima vero, id est, secunda Nicæna nonne in definitione fidei confirmavit sacrarum Imaginum cultum ex Ecclesiastica Traditione? Idem præstitisse adversus subortas alias hæreses posteriora Concilia, neque hæretici denegant. Tenuerunt eandem

viam

viam ſancti Patres, de quibus paulo infra. Incredible autem eſt Eccleſiam Chriſti in reſellendis hæreſibus uſam fuiſſe incertis, fluxisque argumentis. Si ergo adverſus inimicos veritatis ſemper objeſt Veterum Traditiones; ſunt iſtæ Eccleſiaſticorum dogmatum fulcrum firmiſſimum atque inconcuſſum.

9. Sit argumentum quintum peti-  
 Probatur 5. tur: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tue*; quod de Traditionibus ſanctæ matris Eccleſiæ interpretatur laudandus infra Epiphanius. Joannes ultimo: *Sunt & alia multa quæ fecit Jeſus, &c.* ex quo loco Traditiones comprobat S. Thomas 111. p. q. 83. art. 4. Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. xi. 3. commonſtrans ſe plura Corinthiis traditurum, quæ in Episto-  
 ex Scriptura. la prætermittēbat, cætera, inquit, cum venero diſponam: hinc enim S. Pater in Episto-  
 la ad Januarius 118. nunc 54. cap. 6. probat ex Apoſtolica traditione deſcendere quod Eucharistiæ nonniſi à jejunis accipiatur, & ab Apoſtoliſ ordinatum eſſe quod univerſa per orbem ſervat Eccleſia, neque ulla morum diverſitate variatur. Idem Apoſtolus 2. ad Theſſalonicenſes 11. 14. ait: *Itaque fratres ſate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epistolam noſtram.* De quo teſtimonio Orat. 14. Chryſoſtomus: *Hinc eſt perſpicuum quod non omnia tradiderunt per Epistolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque eſſe fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſemus eſſe fide dignam. Eſt traditio: nihil quæ-  
 ras amplius.* Similia Damascenus lib. 14. cap. 17. Timotheum vero idem Apoſtolus 11. Episto-  
 la cap. 1. ita alloquitur: *Formam habere ſanorum verborum, quæ à me audiſti. Bonum depositum cuſtodi per Spiritum ſanctum.* Quo in loco apertiffime traditiones commendare primo teſtatur prælaudatus Chryſoſtomus ſcribens in ea verba: *Non modo per literas, ſed etiam verbis diſcipulo quæ eſſent agenda dictavit: quod plurimis aliis in locis oſtendit, dicens: Sive per verbum, ſive per Epistolam, quaſi per nos miſſam. Ne igitur minus aliquid doctrinæ habere putemus, plurima illi abſque ſcripto tradidit, quæ illi modo ad memoriam revocans, dicit, Formam habere ſanorum verborum, quæ à me audiſti.* Deinde quid eſt depositum, niſi doctrina per manus tradita, & quaſi theſaurus alteri creditus, ut inquit Vincentius Lirinensis cap. 27. Commonitorii? His itaque, aliisque Scripturarum ſanctarum

oraculis Traditiones Apoſtolica commendantur.

Sextum argumentum ſententiis ſan-  
 10. ctorum Patrum conſtruitur. Ex illo-  
 Probatur 6. rum autem numero ſeligam, quos hæ-  
 ex Patribus. retici magna doctrinæ laude celebrari, ac ſumma præſtare auctoritate non denegant, & quos ad ſe trahere irritò conatu nituntur, Irenæum ſcilicet, Tertullianum, Epiphanius, Baſilium, Cyprianum, Auguſtinum. Nam de Papiæ Hieropolitano, Ignatio Martyre, & Clemente Alexandrino, aliisque ſat eſt, ſi loca breviter indigitando aliquid contracte dicamus. Igitur Irenæus lib. 111. cap. 2. demonſtrans eam eſſe hæreticorum hominum vaſtitiem, ut dum Scripturis arguuntur, in accuſationem convertantur ipſarum Scripturarum, *Cum autem, inquit, ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtoliſ, quæ ſucceſſione Presbyterorum in Eccleſia cuſtoditur provocamus eos, adverſantur Traditioni*: atque ex his inferit hæreticos neque Scripturis, quas pro libitu temerant, neque Traditioni, quam repellunt, conſentire. Cap. autem 111. Valentinianos primum traditione, deinde Scripturis conſutatus, illius firmitatem his verbis corroborat: *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in omni Eccleſia adest reſpicere omnibus, qui recta velint videre: & habemus adnumerare eos, qui ab Apoſtoliſ inſtituti ſunt Episcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his deliratur.* Atque eo loci præfert Irenæus traditionem Romanæ Eccleſiæ à duobus Apoſtoliſ Petro & Paulo erectæ & conſtitutæ, nec non Eccleſiæ Smyrnenſis, & Ephesiæ, quarum illa à Polycarpo, hæc à Joanne Evangelifta edocta fuit. Reſutatis poſtea Gnoſticis ex Traditione, S. Irenæus cap. 5. eoſdem Scripturis impetens ait: *Traditione igitur quæ eſt ex Apoſtoliſ ſic ſe habente in Eccleſia, & permanente apud nos, revertamur ad eam quæ eſt ex ſcripturis oſtenſionem.* His reſpondere nequeunt hæretici Irenæum Traditionem accipere pro ipſis Scripturis, aut pro Fidei Symbolo, ut cominiſcitur Græbius. Enimvero aperte Irenæus Traditionem à Scriptura diſtinguit, & duplici telo Valentinianos confodit: deinde ait hanc traditionem etiam ſine charta & atramento ab innumeris barbarorum gentibus, quæ in Chriſtum crediderunt, cuſtodiri: ulterius affirmat ordinem traditionis fuiſſe tenendum, etiamſi Apoſtoli Scripturas non reliquiſſent nobis. Vide Irenæum eo-  
 dem

dem libro cap. 4. Symbolum autem qua fronte nunc callidi hæretici obtrudunt, cum ab Apostolis editum denegent, & si editum fateantur, admittant nihilominus dogmata, quæ in Symbolo non continentur, ut parvulorum baptismum, & originalis peccati propagationem?

11.  
Renatus  
Massuet de-  
fenditur  
contra Joan-  
nem Bud-  
deum.

Hæc cum erudite pertractaverit Renatus Massuet suis in Irenæum Adnotationibus, ac præsertim prævia dissertatione 111. art. 3. effugiumque omne adversariis præcluserit, id ægre ferens Joannes Franciscus Buddeus irritò conatu Massuetum refellere aggressus est. Ait primo eruditissimum virum dum initio dissertationis scribit, *Scripturas sacras esse regulam veritatis certam, & immutabilem, cui nihil addere, vel detrabere fas est*, confiteri opus non esse traditionibus. Sed quid insulsius, ineptiusque potuit proferri? Divinæ quidem Scripturæ sunt istiusmodi regula, eisque non licet scripturas alias apponere, neque eas fas est interpolare, & mutilas reddere; sed ad hanc regulam Massuetus adjicit alteram, quam ab Irenæo prædicari invictè demonstrat, ut non nisi scurriliter se gerat Buddeus affirmans confessionem Massueti sibi esse gratissimam, dum vir clarissimus exornat hæretici dogmatis refutationem. Deinde Buddeus ex verbis Irenæi asserentis hæreticos dum scripturis exagitantur confugere ad Traditiones, infert hæreticos esse, non orthodoxos, qui traditiones ipsas recipiunt. Firmum sane hæreseos præsidium, dignumque, ut est in proverbio, patella operculum! Enim vero S. Irenæus lib. 111. cap. 2. num. 1. scribit Valentinianos, dum Scripturis premuntur, in accusationem converti ipsarum Scripturarum, affirmantes recipiendam esse traditionem, de qua Apostolus ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos*; verum hanc traditionem, ac sapientiam ab unoquoque adinveniri, ut digne secundum eos sit veritas aliquando quidem in Valentino, aliquando in Marcione, aliquando in Basilide; unusquisque enim ipsorum omnimode perversus semetipsum regulam veritatis depravans prædicare non confunditur. Post hæc Irenæus n. 2. provocat Valentinianos ad eam traditionem, quæ est ex Apostolis, quam ex successione Episcoporum demonstrat persistere in Ecclesia Romana; cujus Pontifices enumerat usque ad Eleutherium tunc temporis sedentem. Apertissimum ergo est, S. Irenæum hæreticos appellare qui rejiciunt traditiones Romanæ Ecclesiæ, probantesque doctrinam post Apostolos ab ho-

minibus excogitam, ut Valentini deliramenta nunquam Romæ ante Hyginum audita, atque rejecta veritatis regulæ semetipsos, propriamque adinventionem deprædicantes: cujus generis sunt Novatores sectantes placita Lutheri, aut Calvinii, contemnentes Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrinam, atque ad normam proprii spiritus Scripturarum sensum dijudicantes. Nemo quippe nescit, ut differt. vi. in libros Irenæi cap. 5. animadvertit Nicolaus Nourry, paganos, atque hæreticos contra nascentem Christi Ecclesiam usos traditionum suarum argumento, cum tamen hæ traditiones ex corruptissimo nefandi erroris fonte manaverint, & admittendæ sint illæ traditiones tantummodo, quæ ab Apostolis ad nos transmissæ probantur. At, inquit Buddeus, eo tempore adhuc ex traditione colligi poterat Ecclesiæ sententia, quam Irenæus opponeret Gnosticis adeo inflatis, ut se Apostolis sapientiores esse jactarent. Principia hæc adverfantur hujus Scriptoris scopo; neque cohæret, Irenæum loqui contra hæreticos assertores traditionum, & traditiones tunc temporis fuisse inconcussas, atque ad revincendos hæreticos ab Irenæo recte, sapienterque productas. Præterea Irenæus traditiones ad nos transmissas probat ex legitima serie Episcoporum, scribens cap. 111. n. 3. *Hac ordinatione & successione ea qua est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos: & est plenissima hac ostensio unam & eandem vivificatricem fidem esse, qua in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata; & tradita in veritate.* Ex eadem legitima Episcoporum successione Apostolicam doctrinam dignosci scribit lib. iv. cap. 36. Nequit ergo demonstrari in Ecclesia Romana adulterata Traditio, cum in ea perseveret legitima Episcoporum successio. Ac tandem cum traditiones Apostolicæ in universam Ecclesiam antiquitus dimanaverint, si illas Romana Ecclesia labefactasset, id ex aliarum Ecclesiarum traditione deberet demonstrari, ideoque adhuc persisteret Traditionum fundamentum firmissimum atque inconcussum. Hactenus de Irenæo, qui tam aperte refellit hæreticorum figmenta.

Tertulliani Latinorum antiquissimi testimonia adeo sunt invicta, ut excuti nulla ratione valeant. De cultu fam. cap. 3 ait: *Cum Enoch filio suo Mathusala nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum posteris suis traderet: igitur sine dubio potuit Noe in prædicationis*

12.  
Tertullianus  
stat pro-  
ditionibus.

*ſucceſſione deligere.* De jejuniis cap. 10. *Eorum, inquit, quæ ex traditione obſervantur tanto magis dignam rationem afferre debemus, quantum carent Scripturæ auctoritate.* Idem de Corona cap. 4. pluribus commemoratis, quæ ad baptiſmum, Euchariftiam, oblationesque pertinent, *Harum, inquit, & aliarum ejusmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: traditio tibi præſentatur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* In v. contra Marcionem cap. 17. Sermonem inſtituens de Epiftolis Pauli, ait, *Eccleſiæ veritate Epistolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam, non ad Laodicenos, & de Carne Chriſti cap. 2. ex traditione evincit originalia eſſe inſtrumenta, quæ delere auſus eſt Marcion.* Demum de Præſcript. 28. protulit pervulgatam illam ſententiam, *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Plura colligit Carolus Moreau Tom. 3. v. *Traditio.* His autem conſtat Tertullianum Traditionem comprobare ex primævæ legis inſtitutis: ex traditione repetere Eccleſiaſticos ritus: traditione autographas Scripturas ſecernere à ſuppoſitis; traditiones quoque criterium ſtatueret, multarum, ſcilicet Eccleſiarum conſenſionem. Tertullianus itaque omnia, quæ ſupra dicta ſunt, colluſtrat, confirmat, corroborat.

13. *Quid autem Epiphanius? Is H. 60. pag. edit. Petavianæ 511. inquit: Sed & traditione quoque opus eſt; neque enim ex Scripturis peti poſſunt omnia. Idcirco alia ſcripto, traditione alia ſanctiſſimi Apoſtoli reliquerunt. Quod ipſum ita Paulus affirmat. Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco: Ita doceo, & ita tradidi in Eccleſiis. Item, Si meminiftis, &c. indigitans loca in quinto argumento præcitata. Atque H. 76. pag. 912. Poſteſt vero, inquit, quicquam maternam ſanctionem, aut legem patris evertere? quemadmodum à Salomone ſcriptum eſt, Audi fili ſermonem patris tui, & ne repellas legem matris tuæ. Quibus Patrem, hoc eſt unigenitum Deum cum Spiritu ſancto declarat partim ſcripto, partim ſine ſcripto docuiſſe: matrem vero noſtram Eccleſiam decreta quædam habere penes ſe, quæ diſſolvi evertique nequeunt. His pariter, quibus nil proferri poteſt expreſſius, quintæ argumentationi robur accedit.*

14. *At Baſilius in libro de Spiritu ſancto ad Amphiloſchium tam ſplendide, & enucleate Traditiones adſtruit, ut nulum alium effugium ſuppetat Refracta-*  
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

riis, quam aureum illud opus magno Baſilio abjudicare: quod incaſſum tentari etiam ex ingenua ſuorum conſeſſione oſtendi lib. viii. cap. 9. Ergo Baſilius cit. libri cap. 27. ait: *Dogmata, & inſtituta, quæ in Eccleſiis prædicantur quædam habentur, ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurfus ex Apoſtolorum traditione; quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quicquam contradicit quicquid ſane, vel tenuiter expertus eſt quæ ſint jura Eccleſiaſtica.* Enumerat ibidem aliqua, quæ ex traditione ſervantur, ut communire ſe ſigno crucis, præmittere preces conſecrationi Euchariftiæ, delinire unctioſis oleo neophytum, abrenuntiare in baptiſmate Satanæ & angelis ejus, aliaque plura, quæ confirmat exemplo Moysi ſtatuentis profanos extra cancellos, quem imitati ſunt Apoſtoli ac patres, à quibus plurima in occulto, & ſine ſcripto fuerunt tradita, ut myſteriis ſuam ſervarent dignitatem, nec dogmatum cognitio propter aſſuetudinem veniret in contemptum. Atque hæc à Nebulone quodam inſerta perperam jactat Hermannus, cum allata Baſilii verba integra proferat in 1. Orat. de Imagin. Jo. Damascenus, & Eraſmi conjecturæ, quæ deceperunt Hermannum, Scultetum, ac Proteſtantium alios, ſint, ut alibi diximus, nimium ſuiles. Cap. 29. ejusdem libri, *Arbitror, inquit Baſilius, Apoſtolicum eſſe etiam non ſcriptis traditionibus inherere. Laudo, inquit, vos quod omnia mea meminiftis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis: & illud, Tenete traditiones, quas accepiſtis ſive per ſermonem, ſive per Epistolam. Quo in loco Baſilius interpretatur de Traditione non ſcripta textus Apoſtoli paulo ſupra citatos. Addit Baſilius ſatis idoneam comparationem; ſi enim legibus revinci nequeat adverſarius, conſuetudine refutatur: Ergo, ait Baſilius, ſi apud Tribunal probationibus è ſcripto deſtituti multos vobis teſtes produceremus, nonne ſententiam abſolventem à vobis conſequeremur? Quid ſi etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter oſtenderimus, annon videbimur vobis probabilia dicere, non poſſe litem iſtam jure nobis intendi? Atque hæc comparatio movit etiam Hugonem Grotium, ut liquet ex ejus diſcuſſione Apologetici Rivetiani; ubi illam confirmat auctoritate Calliſtrati, & Pauli Jurisconſulti. Non poterat ergo Baſilius de ſacris traditionibus loqui magnificentius, quam illis parem cum*  
N n verbo

verbo scripto vim tribuere, illis fulcire sacrorum mysteriorum dignitatem, illis denique religionis, fideique causas definire.

15.  
Etiam Cy-  
prianus.

Dicamus nonnulla de Cypriano. Hunc propugnasse sententiam de Rebaptizandis innixum suppositæ traditioni liquet ex Epistolis ad Pompejum, ad Quintum, ad Jubajanum, ad Stephanum; & licet erraverit pro traditione obtrudens consuetudinem solius Africæ, asseruit tamen definiendi dogmatis normam esse consensum, & auctoritatem Majorum: quare Epistolæ omnes à Cypriano de hoc argumento conscriptæ & Traditiones commendant, & simul commonent has in Ecclesiis Apostolicis requirendas. At inquis, nonne Razmundus Misforius palam fecit Epistolas illas doctrinamque de Rebaptizandis Cypriano supponi? Dixi alibi non unum esse de sententia Misforii iudicium Eruditorum: virum esse H. E. peritissimum, emunctæ naris criticum, ejusque stylum peripicuam ac perpolutum, non solum Rotignus scribit, verum etiam qui ediderunt Acta Eruditorum Lipsiæ an. 1736. pag. 60. Idem fateri debet quisquis limatam, elaboratamque dissertationem perlegerit. At S. P. Augustinus, quem admodum ait non deesse, qui hoc Cyprianum non sensisse contendant, sed sub ejus nomine à præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum, per spectaque hæreticorum fraude aliquando de hac re hæsitit fluctuante: ita ubi opinionem suam profert, aperte literas ac de Rebaptizatione sententiam adjudicat Cypriano, ductus duplici argumento; quorum unum petitur è stylo S. Martyris singulari, & quasi certis, quibus distinguatur, affectus delineamentis; alterum ex unitate Ecclesiæ ipsis Epistolis Cyprianicis vindicata, quam sane tanto studio minime servasset Epistolarum illarum architectus, si fuisset aliquis Donatista. Nos tamen, inquit S. Pater Epistola ad Vincentium Rogat. 48. nunc 98. num. 39. Nos tamen duas ob res non negamus illud sensisse Cyprianum: quod & stylus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci; & quod ibi magis contra vos nostra causa monstratur invictior, vestraque separationis præsumptio, videlicet ne macularemini peccatis alienis, tota facilitate subvertitur, cum apparet in literis Cypriani communicata esse cum peccatoribus Sacramenta, cum admissi sunt in Ecclesiam, qui secundum vestram, & sicut vultis, illius sententiam baptismum non habebant, & tamen Ecclesiam non periisse, &c. Addo Augustinum Epistolas Cyprianicas suo auctori absque

ulla hæsitatione tribuere lib. vi. de Baptismo cap. 7. num. 10. & lib. i. de An. cap. 9. num. 11. Meminit etiam Concilii opera Cypriani celebrati lib. 111. de Bapt. cap. 3. num. 4. & lib. vi. cap. 6. num. 9. Cum Epistolas, tum Concilium commemorat S. Hieronymus in Altercatione Orthodoxi & Luciferiani edita an. 378. Tom. iv. pag. 303. & 305. edit. Martianæi. Verum quidquid de his censeas; Cyprianus alibi traditionem aperte commendat scribens ad Ceciliam: *Admonitos autem nos scias, ut in Calice efferendo dominica traditio fervetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

Sanctum parentem Augustinum comprobare sacrarum Scripturarum autographiam ex traditione, & auctoritate Ecclesiarum quæ fundatæ sunt ab Apostolis, habentque seriem sibi succedentium Episcoporum, demonstratum est Prop. 2. capitis x. ex lib. adversus Faustum, de Civitate Dei, & de Doctr. Christiana. Idem Augustinus lib. 2. contra Julianum cap. 1. ait Pelagianorum dogmata esse *Eloquiis redarguenda Sanctorum*. Peccatum originale & futuri Reparatoris adventum antiquis Justis, etiam ante diluvium ac datam legem per traditionem innotuisse affirmat lib. 2. de peccat. Origin. cap. 24. Libro 14. de Baptismo cap. 24. tradit præclaram dijudicandæ traditionis regulam superius allatam, meritoque à PP. Maurinis grandiusculis literis editam. Scripsit præcedenti libro 11. cap. 7. de consuetudine non repetendi baptismum: *Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem (sicut multa quæ inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur) hanc ergo saluberrimam consuetudinem, &c.* Sunt enim Augustini etiam quæ clauduntur parenthesi, licet absint à plurimis Mss. ut commonstrat repetitio illius vocabuli consuetudinem, ob orationem parenthesi interclusâ distractam. Libro v. ejusdem Operis cap. 26. loquens de Cypriano inquit: *Quo autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.* Recte à Benedictinis adnotatum in Margine: *Certissima regula veritatis exploranda* Apo-

16.  
Etiam Au-  
gustinus.

*Apostolica traditio.* Idem Augustinus Epistola ad Januarium 118. nunc 54. num. 1. *Illā, inquit, quā non scripta sed tradita custodimus, quā quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritus sancti anniversary sollemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia.* Adeat qui plura cupit Hieronymi Turrensis Confess. Aug. libro 1. cap. 7. art. 5. & 6.

17. *Etiam ceteri* Patres Traditionibus suffragari est exploratissimum. De Ignatio Martire, Papia, Polycarpo, & Clemente Alexandrino id testatur Eusebius in Eccles. H. collegitque loca omnia Nat. Alexander. Hieronymus Traditiones commendat adversus Luciferianos Tom. IV. edit. PP. S. Mauri p. 304. scripsit supra pag. 294. *Nam & alia multa quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Vide & Epistolam 52. ad Lucinium eodem Tomo pag. 579. Plura collegit in Confessione Hieronymiana Cornelius Schultingus. Sed hæc & genuina, & invicta. Afferunt Patres reliquos Bellarminus lib. IV. cap. 7. & ibidem Bellarmini Vindex Gretserus, Jodocus Coccius in Thesaurō libro VI. cap. 2. Moreau in Tertull. Tom. 3. pag. 716. Laurea in III. sent. tom. 3. disput. 4. DD. superius laudati, alique plurimi; ut nullum sit dubium, quin Traditio unanimi sanctorum Patrum sensu probetur.

18. *Probatur ut-* Postrema argumentatio sit. Ipsi quoque hæretici, velint, nolint, ad Traditionum præsidium, dum inter ipsos gravia emergunt dissidia conantur confugere. Quomodo enim Peyrerium Systematis Præadamitici auctorem refutarunt, nisi Traditione Majorum, quod ipsum impulit ad Calvinianam sectam ejurandam, ut ipse testatus est in sua ad Alexandrum VII. Deprecatione? Socinianos sensum Scripturæ pervertentes nonne testimoniis Patrum confodiunt? Nonne vindicata Antenicænorum fide Georgius Bullus, alique sese tandem ad Majorum placita inquirenda conver-

tunt, ne his abdicatis tanquam novæ doctrinæ assertores insimulentur qui aut Presbyterianis adherent, aut certæ Religionis nomen dandum esse fatentur? David Blondellus Apologiam pro sententia, ut putat, Hieronymi, de primitiva Episcopi & Presbyteri iocundia contextit testimoniis Clementis, Hermæ, seu Pastoris, Justinii, Papiæ Hieropolitani, Irenæi, aliorumque, inane dans operam ut evincat sententiam oppositam Ecclesiasticæ traditioni adversari. Simplicius Verinus, id est Salmasius, nititur Transubstantiationis dogma impugnare coacervatis verbis Cyrilli, Theophylacti, Augustini, Eusebii Cæsariensis, Theodoretii, aliorumque ætate posteriorum. Hæc tantum exempla sat est protulisse. Accedit hæreticorum confessio; nam Calvinus contra Pighium, *Non difficulter, inquit, inter me, & Pighium in hac de Traditionibus contentione conveniri posset, si modo Ecclesiæ traditionem ex certo & perpetuo Sanctorum & Orthodoxorum consensu demonstraret.* Philippus Melancthon apud Grotium Tom. IV. Op. Th. pag. 724. *Universalis consensus omnium temporum est testimonium quod hæc ordinatio est Apostolica.* Chemnitius in Examine Conc. Trid. pag. 306. scribit: *Hanc traditionem quæ nobis in manus dantur sanctæ Scripturæ libri reverenter suscipimus,* Drusius, Grotius, & alii docent Paulum ex traditione Jannis & Mambris magorum Pharaonis nomina didicisse. Ex eadem traditione notum Petro lapsum angelorum, scribit in ejus Epistolam 2. Thomas Smith. Trinitatis mysterium traditione Judæis innotuisse testatur in Hist. Relig. Jud. Jacobus Basnagius. Bucerus adversus Latomum pag. 224. profitemur se in hac quæstione de Traditionibus loqui de novis noxiisque inventis, non de iis, quæ sancti Patres, & Ecclesiæ auctoritas tradidit. Vide citatum Grotium ad Consultationem Caslandri pag. 569. Hic vero cum eo loci, tum in Animadversionibus adversus Andreæ Rivetum, & in discussione Apologetici nobiscum plane in hac quæstione consentit. Jacobum quoque Piceninum asserere sacros libros recipi ex traditione priorum seculorum dixi cap. X. prop. 2. Confirmatur ergo catholica veritas etiam hæreticorum hominum lucubrationibus, & consensione.